



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Consecratione Ecclesiae, Altaris & paramentorum Ecclesiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ARTICVLVS III.

De consecratione Ecclesiæ Altaris & Cœmeterij.

- 1 Ecclesia non possunt edificari sine consensu Episcopi.
- 2 Ecclesia non debent edificari cum præiudicio antiquarum.
- 3 Ecclesiam de nouo constructam quis dotare teneatur.
- 4 Consecratio Ecclesiæ est actus ordinis Episcopalis.
- 5 Ecclesia quibus casibus possit reconsecrari.
- 6 Ecclesiam fuisse consecratam quomodo probetur.
- 7 Ecclesia quibus casibus habeatur pro polluta.
- 8 Ecclesia polluta, censetur pollutum cœmeterium non è contra.
- 9 Altaria quomodo consecranda.
- 10 Altaris portatilis vsus extra Ecclesiam non potest concedere Episcopus.
- 11 Altare quando dicendum violatum.
- 12 Episcopus quas indulgentias concedere possit.
- 13 Episcopus non potest subdelegare benedictionem vestium & vasorum altaris.
- 14 Regularium superiores habent priuilegium benedicendi vestes Ecclesiæ.
- 15 Episcopus nihil recipere potest pro consecratione Ecclesiæ præter procurationem.

Ecclsiæ edificari non possunt sine scitu & assensu Episcopi, & ipse locum edificationis assignat, crucem figit, lapidemq; ponit primarium. *cap. nemo Ecclesiam. dist. 1. de consecr.* Hunc tamen actum nempe, positionem primarij lapidis potest alteri subdelegare, vt no. gl. in *cap. nemo Ecclesiam. cit. v. veniat.*

1. Aedificandæ autem sunt sine præiudicio antiquarum: & si quando nouæ Parochiales eligendæ sunt, fieri debet absque diminutione iurium & emolumentorum antiquæ Parochiæ. Potest tamen Episcopus etiam de fructibus matricis Parochialis nouam aliam Parochiale fundare, si necessitas exigat, nec adsit modus dotandi aliunde nouiter erectam Ecclesiam, ipsa verò matrix abundet fructibus. *Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de ref.* sine præiudicio nimirum pos-

sidentis, vt declarauit S. Cong. Conc. Episcopo Andrien. in anno 1594.

Alioquin edificans Ecclesiam, dotem sufficientem pro alendis ministris, ornamentis necessarijs prouidēdis, & iuribus Episcopalibus reddendis assignare ipsi tenetur: vel Episcopus permittens edificari Ecclesiam sine dote, ad dotandam de proprio obligaretur. *cap. cum sicut. iun. gl. de consecr. Eccles. Abb. ibid. num. 3.*

Circa Ecclesiarum edificationem illud quoque notari potest, quod ex antiqua consuetudine versus Orientem Ecclesiæ edificabantur. de qua consuetudine testatur Clemens in 2. lib. *Apost. Const. c. 61. Abb. in clē. 1. de reliq. & ven. nu. 27. Durand. in cit. ration. Diuin. lib. 1. cap. 4.*

Aedificata autem Ecclesia consecratur quocunque die siue festo siue feria. *cap. 2. de consecr. Eccl. idque ab ipso met*

met Episcopo, est enim actus ille ordin Episcopali deputatus, vnde ipsum committere Episcopus non potest alicui, quam alteri Episcopo, *cap. aqua lo. cit. de consecr. Eccles. Host. ib. in sum. num. 2. Abb. ib. num. 2.*

Semel etiam consecrata Ecclesia iterum consecrari non debet. *cap. Ecclesis. dist. 1. de consecr. præterquam in casibus qui sequuntur.*

Primò si dubitetur an fuerit consecrata *cap. Ecclesia. dist. cit. Arm. v. consecratio. Eccles. num. 3.* Creditur autem dicto vnus testis qui dicat fuisse consecratam siue de visu siue de auditu, vel si appareat aliqua nota in libris Ecclesie, vel in pariete, vel in columna seu aliqua tabula lapidea, præsumitur fuisse consecratam. *cap. solemnitates. iun. gl. v. scriptura. dist. 1. de consecr. specul. in tit. de probat. §. videndum. vers. non per libros. Abb. in cap. proposuisti. num. 6. de consecr. Eccles. vel si reperiat in Chronicis aliqua mentio, huiusmodi enim scripturis creditur gl. sing. in cap. inter dilectos. v. magis. Abb. in cap. cum causam. num. 1. de probat.* Similiter creditur & libris archiepiscopi publici, & libris censualibus Ecclesie, idque etiam in iudicialibus. *id. Abb. cons. 146.* & libris antiquis censualibus Canonicorum vel aliorum *Innoc. in cap. ad audiendam. de prescript. Archid. in cap. ab eo. dist. 11. Bart. in rub. C. de fid. instrum.* Et tanto magis præmissa probant in casu quo nemini generatur præiudicium, tunc enim etiam semiplenæ probationes sufficiunt. *Innoc. cit. in cap. 1. de consecr. Eccles. Arm. lo. sup. cit. gl. in e. nuper. v. nisi iuratus de testibus.* Vel si iuuantur loci consuetudine, ex consuetudine enim loci alicuius potest facere fidem etiam scriptura non authentica. *e. dilectus. de fide instrum. Rot. decif. 789. p. 1. diuers.*

Secundò reconsecratur Ecclesia in casu quo parietes fuerint incendio absumpti, destructi, seu diruti omnes siue maiori parte. *cap. Ecclesis. cit.* si tamen solum tectum combustum sit, vel etiam de parietibus quid modicum, non reconsecratur. *cap. de fabrica. lo. cit. de consecr. dist. 1. c. proposuisti. iun. gl. de consecr. Eccl. quod totum pendere ex iudicio Episcopi docet Host. ib. de consecr. Eccl. in sum. num. 5.*

Tertiò reconsecratur si fuerit ab hæretico consecrata. *c. Ecclesias. c. Arrianorum. dist. 1. cit. de consecr.*

Reconciliatio autem quæ est diuersa à cōsecratione adhibetur in casibus pollutionis Ecclesie, qui pluribus modis accedere possunt. Vt primo si Ecclesia polluitur effusione sanguinis magna, & incuriose facta in Ecclesia. Magna quidem, nam si sit effusus modicus sanguis, vt si percussus aliquis quo sanguis fluat ex naribus, nõ dicitur polluta Ecclesia *cap. cum illorum. iun. gl. de sent. excomm. Ang. v. consecratio. num. 4. Arm. eod. & iniuriosè facta: nam si casu aliquo percussus fuerit quis ad sanguinis profuuium, propterea non censetur polluta Ecclesia. Similiter nõ sequetur pollutio Ecclesie, si foris vulneratus confugiat ad Ecclesiam & ibi effundat sanguinem, pollutio enim fundatur super violentia facta in Ecclesia, non super sola effusione sanguinis, vnde & è contra vulnerato a quo in Ecclesia, etiam si inde egrediatur antequam ibi sanguinem fundat, seu illum excipiat patto, aut vase aliquo, vel si quis suffocatur & moritur violenter sine sanguinis effusione, remanebit tamen Ecclesia polluta, propter violentiam in ea commissam. *Na. in man. c. 27. num. 256.**

Item polluitur Ecclesia effusione seminis, siue illa fuerit licita siue illicita.

cap.

cap. fin. de consecr. Eccles. Host. ib. in sum. lo. sup. cit.

Tertiò polluitur, si in ea sepeliatur paganus, hæreticus, vel excommunicatus, nec potest reconciliari nisi cadauere huiusmodi exhumato si discerni possit. c. Ecclesiam. dist. 1. cit. de consecr. Host. lo. cit. num. 7. vbi partum in utero existentem, cenferi vnum cum corpore materno, nec Ecclesiam pollui si sepeliatur simul cum matre, multis deducit.

Quartò polluitur Ecclesia, si ab Episcopo publico excommunicato reconcilietur vel consecratur, siue tota, siue eius altare. Abb. in c. consulisti. num. 5. de consecr. Eccles. Arm. lo. sup. cit. num. 7.

Sacrilegio item & criminibus enormibus ibi commissis polluitur Ecclesia: sed in istis casibus sicut & in alijs qui in iure non exprimentur, reconciliatio potest committi simplici Sacerdoti. ex doctrina Host. lo. sup. cit.

In omnibus etiam pollutionis casibus ad effectum quod Ecclesia indigeat reconciliatione, requiritur vt pollutio sit publica: nec sufficit quod sciatur à duobus vel tribus. Host. Arm. locis cit. in oculis autem non est opus reconciliatione. Abb. in cap. significasti. num. 2. de adult.

Ante reconciliationem autem in Ecclesia polluta, Diuina officia celebrari non debent, nec mortui sepeliri: & celebrans fit suspensus, & si iterum celebret post suspensionem, incurret irregularitatem. Abb. in c. tuarum. num. 5. de priuil. si nimirum interdictum fuerit, ne in ea celebraretur propter violationem, alioquin si tantum esset polluta de iure, celebrans in ea antequam pro polluta denunciaretur, non incurreret suspensionem vel irregularitatem. cap. 15. qui. de sent. excom. in 6. extrauag. ad euitanda. quam alio loco referemus. Suarez de

cons. disp. 37. sect. 2. num. 5. Nau. in man. c. 25. num. 83.

Vbi etiam reconciliatio haberi non posset, posset ex permissione Episcopi lauari Ecclesia polluta aqua exorcizata, & celebrari interim donec reconcilietur per Episcopum, similiter & Ecclesia nondum consecrata si polluat, sufficit quod reconcilietur modo prædicto per simplicem Sacerdotem. c. fin. de consecr. Eccles. iun. gl. Arm. lo. sup. cit. num. 2.

De cæmeterij verò consecratione, pollutione, & polluti reconciliatione idem omnino tenendum esse, quod de Ecclesia diximus, patet ex c. consulisti. iun. gl. lo. cit. de consecr. & alia gl. in cap. fin. ibid. Host. lo. sup. cit. num. 9. nisi quod Ecclesia polluta, cenferatur pollutum quoque cæmeterium, non verò è contra. c. vn. de consecr. Eccles. in 6. Ang. v. consecratio. cit.

Altaria etiam consecrantur siue sola, siue vna cum Ecclesia, plura, seu vnum solum. cap. cum sis. lo. cit. de consecr. Eccl. vnguntur Chrismate dum cõsecrantur. cap. altaria. dist. 1. cit. de consecr. & ritus in Pontificali Rom. præscripti omnes necessario sunt circa hanc consecrationem obseruandi. Ang. Arm. locis cit.

Non nisi autem lapidea altaria debent consecrari. cap. altaria. cit. & non sine reliquijs sanctorum, quæ in eis recondi debent. cap. placuit. dist. cit. Abb. in c. 1. de consecr. Eccl. num. 2.

Et quidem reliquiæ sanctorum ab Ecclesia approbatorum reponi debent in huiusmodi altaribus, vt responsum vidi à S. Cong. Conc. 10. Iun. in an. 1585. ex qua ratione eadem S. Cong. Episcopo Interamnen. die 13. Septem. 1593. & Archiep. Tranen. 8. Nouemb. 1599. respondit non esse consecranda altaria, sub quibus sepulta reperiuntur corpora mortuorum nisi eis remotis.

Non

Non solum autem altare solo fixum sed & portatile, quod viaticum dicitur consecratur. de quo loquitur *tex. c. concedimus. dist. cit.* sed istius usus extra Ecclesiam in qua de licentia Episcopi celebrari consuevit, est interdictus. *c. Missarum. cap. hic ergo. dist. cit.* & præsertim Conc. Trid. *sess. 22. de euit. in celeb.* quo obstante licet olim potuerit celebrari cum similibus altaribus de licentia Episcopi. *cap. concedimus. dist. cit. Abb. in cap. fin. de consecr. Eccles. & in cap. in his. num. 2. de priuil. Ioan. Andr. ib.* tamen hodie non potest talem licentiam concedere Episcopus, ut deducit *Nau. conf. 1. q. 37. de const. in antiq.* ubi testatur de consuetudine recepta interpretandi hoc sensu allegatum *Conc. & conf. 16. de priuil.* ubi deducit etiam ipsummet Episcopum ubi est receptum Conc. Trid. non posse extra propriam Diocesim vti altari portatili vigore. *c. fin. de priuil. in 6.* sed in propria Diocesi tantum vti posse eo priuilegio.

N. Violatur altare solo fixum si loco moueatur, vtrumque autem si fuerit enormiter læsum, vel si sigillum sub quo reliquæ conducuntur frangatur, seu lapis sub quo sunt reliquæ amoueatur. *cap. si motum. dist. cit. iun. gl. v. altare. Abb. in c. 1. num. 3. de consecr. Eccles.* quod potius manet iudicio Episcopi, qui ex re oculis subiecta facilius dignoscere potest, num sit sequuta violatio. *Hofst. lo. sup. cit. Arm. v. altare.* semel autem violatum non reconciliatur amplius, sed iterum est consecrandum. *Arm. lo. cit. & altari violato, non violatur Ecclesia. Abb. lo. cit. c. proposuisti. num. 10.*

Consecratio tam Ecclesie quam altaris sine Missa fieri prohibetur. *cap. omnes Basilica. dist. cit. de consecr.*

12. In consecratione Ecclesie concedere potest Episcopus vnus anni indulgen-

tiam, & pro diebus singulis anniuersarijs consecrationis dierum quadraginta: nec valet indulgentia maior, licet plures Episcopi consecrent, & à pluribus concedatur. *cap. cum ex eo. S. adhuc. de panit. & remiss. c. fin. eo. tit. in 6.*

Ultra Ecclesie & altaris consecrationem ad ministerium Diuinorum consecrantur etiam vasa sacra & vestes, quæ & atrectari non debent, nisi per ministros Ecclesie in sacris Ordinibus constitutos. *cap. in sancta dist. cit. de consecr.*

Et quidem calix & patena dum consecratur vngitur chrismate, nec debet consecrari ligneus, siue ex vitro vel aurichalco, sed ex auro, argento, siue etiam paupertate vrgente ex stanno fabricatus. *cap. vasa. cap. vt calix. dist. cit. de consecr.*

Vestes autem, lintea, & panni altaris sine aliqua vnctione benedicuntur ceremonijs adhibitis, quæ in Pontificali videri possunt. *c. vestimenta. lo. cit.* Nec Episcopus eorum benedictionem alteri potest committere. *Arm. v. benedictio. num. 12.* Sed Papa bene potest, vnde & in facto reperitur plurimis concessum à sede Apostolica priuilegium de consecrandis paramentis Ecclesie absque vnctione, ut Six. IV. & Leo X. Generalibus, Prouincialibus, Vicarijs, Guardianis Ordinis minorum concessit facultatem benedicendi paramenta & ornamenta ad eorum Ecclesiarum vsum necessaria, in quibus vnctio chrismatum nõ adhibetur: item & potestatem reconciliandi eorum Ecclesiam pollutam, aqua exorcizata ab Episcopo; vel si Episcopus in remotis agat, ut etiam aquam huiusmodi ipsimet exorcizare possint. relatum inuenitur hoc priuilegium *apud Cõfect. inter priuil. mend. fol. 140.* quod & omnibus alijs mendicantiũ Ordinibus seruit, cum omnes æquè isti ordines sua sibi

L iuni-

inuicem priuilegia communicent. *vt confect. cit. in sum. eorum priuileg. 3. c. 5.* Vnde & Patres Soc. Iesu eodem priuilegio uti possunt, cum eorum quoque Soc. inter ordines mendicantium censeatur. Constit. Pij V. quam alia occasione referemus. Imò expressè illis hæc facultas consecrandi paramenta Ecclesiæ fuit concessa à Paulo iun. *vt in eius const. relata apud Eman. Roder. in sua collect. priuileg. Tom. 2.*

Similiter & Abbates benedicere possunt dicta paramenta, quisque pro usu duntaxat Ecclesiæ suæ. *c. Abbates. iun. gl. v. tonsuram. de priuileg. in 6.* non tamen calicem vel patenam, neque alia in quibus adhibenda esset olei unctio. *vt gl. ead. Neque corporalia. c. consulto. dist. cii. de consecr. Ang. v. benedictio. num. 2.*

Campanæ etiam ex consuetudine Ecclesiæ benedicuntur cum unctioe olei & Chrismatis, libri tamen Ecclesiæ non solent benedici. *gl. in c. 1. de pignoris.*

Profanantur vasa sacra, & vestes cum amittunt formam propriam, non autem si sint leuiter lacera. *Ang. Arm. locis cit.*

Vetusta autem & consumpta in usus prophanos conuerti non debent, sed in loco honesto reponi sicut & ligna parietum Ecclesiæ seu altaris cremanda sunt. *cap. ligna Ecclesia. dist. cit. de consecr.*

Pro consecratione Ecclesiæ vel altaris vel pro benedictionibus prædictis, nihil potest recipere Episcopus præter procuracionem, si fuerit hæc loci consuetudo. *c. sum sit Romana. de sim. c. placuit. 1. q. 2. Abb. in c. proposuisti. nu. fin. de consecr. Eccles.*

PRAXIS EPISCOPALIS PARS SECVNDA.

De potestate Iurisdictionis Episcopalis.

Ordinis Episcopalis potestate secundum quod breuitatis ratio postulabat absoluta, subsequitur iurisdictionis ipsius tractatio. Quæ quoniam multiplex est, alia enim fori pœnitentialis, alia fori contentiosæ, alia demum voluntaria dici potest: nos etiam iuxta diuisionem hanc aliqua de ipsa referre conabimur. Et in primis quidem eam quæ est fori pœnitentialis absoluemus, tanquam affinitatem præcedenti tractatui, similia similibus magis coniungentes.

CAPVT PRIMVM.

DE IURISDICTIONE FORI PœNITENTIALIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quibus casibus absoluere non possit Episcopus.

- 1 *Episcopi in locum Apostolorum successerunt.*
- 2 *Papa solus habet plenitudinem potestatis in Ecclesia.*

3 *Papa*